



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm II. Quia Pontificali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

## 674 Decret. Gregor. Lib. I. eod. Tit. in 6. Cap. II.

quod hodie plerumque Conseruatores dari soleant, ut iudicalem cognitionem habeant: Idque ex plenitudine Pontificiae potestatis, ait Rodriq. h̄c a. 1. quæ canonum decretis ita alligata non est, quod minus ex iusta & publica causa recedere possit. Plura dicentur infra c. vlt. hoc tit.

### CAPITVLVM II.

#### Quia Pontificali.

##### PARAPHRASIS.

Iudices, & Conseruatores à Sede Apostolica deputati, in coactione ac punitione Episcoporum mandata ipsorum violantium, moderatione vti debent, propter reuerentiam Episcopalis culminis: Ita vt Episcopo contumaci primò Ecclesiæ ingressus interdicatur, postea officium sacerdotale, deinde ab officio absolutè suspendatur, & sic deinceps aggrauetur censura: nisi contumacia Episcopi nimis accrescat, vt excommunicatione inferenda videatur. Consentit c. sanè, 11. & c. pastoralis, 28. extrà, eod. & videri potest l. vlt. C. Vbi Senatores &c.

##### SUMMARIUM.

1. In censuris ferendis, præsertim contra personas ecclesiasticas, gradatim procedendum est, ita vt leuiores prius inferantur.
2. Episcopus contra Iudicem excommunicare volentem, non obseruato hoc ordine, appellare potest, tanquam grauatus; si autem non appelleret, sententia erit valida, licet Index male agat, & puniri possit.

**N**O TANDVM Vn. In censuris ferendis, præsertim contra personas Ecclesiasticas sublimes, gradatim procedendum est, ita vt leuiores prius inferantur, vti etiam significatur in c. vlt. in fine, vt lite non contentata, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. p. 2. c. 1. n. 6. Ratio est: Quia censura est præua medici-

nalis, quæ ideo infertur, vt reus à cōcumacia & culpa recedat, & Ecclesiæ obediens luxur c. 1. de sent. excom. in 6. Quare si finis iste per leuiora remedia obtineri potest, non est ad seuerissimam excommunicationis panam descendendum: nisi grauus, aut diuturna contumacia talem seueritatem exigere videatur, vt ecclesiæ auctoritas, & disciplina Ecclesiastica conseruetur.

**Q**UÆRITVR I. Quæ h̄c dicuntur de Episcopis, an etiam locum habeant in electis ac confirmatis, sed nondum consecratis? Respondendum est affirmatiuē cum Ioann. Andr. h̄c princ. Dominico, ver. Quero an iste textus. Nam generalis regula tradi potest ex Abb. in c. accedentibus, n. 3. de excess. Prælatorum; Quæ Episcopis ratione dignitatis Episcopalis concessa sunt, & non ratione ordinis, ea ab electis & confirmatis, quamvis non consecratis, exerceri posse, vti est dispare, indulgentias dare, Confessarios approbare, exponere &c.

**Q**UÆRITVR II. Si delegatus Papæ non obseruato hoc ordine, Episcopum libi inobedientem ac contumacem statim excommunicet, num valeat sententia? Resp. Quod Episcopus contra Iudicem excommunicare volentem appellare posit, tanquam grauatus. Sin autem non appelleret, videtur sententia valida, licet Iudex male agat, & puniri possit, secundum Gl. hic ver. aliter, Dominic. circa Gl. fin. Tametsi enim prætermisso ordinis ab homine mandante prescripti vitiet processum, c. venerabili, 17. extrà, hoc tit. c. Pisani, 19. de restit. Spoiliatorum; non ita tamen, si ordo à iure prescriptus violetur, nisi si substantialis sit. Ordo autem ille substantialis censi non potest, dummodò contumacia Episcopi grauus & absolutè loquendo, capax sit tanta censuræ.

### CAPITVLVM III.

#### Siduo.

##### PARAPHRASIS.

Papa tribus Iudicibus causam aliquam delegauerat; duo eorum partem seu articulum